



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno DLXXVII. ad annum DXC.

Parisiis, 1644

Epistola XIV. Gregorii Papae I. Ad Taracinenses. De Agnello episcopo
suscipiendo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-15221

Grat. 21.
qu. 1. cap. 6.

neve, & omnibus generaliter ad eam pertinentibus, solerter atque canonice ordinare facereque prouideris, liberam habebis, quippe ut sacerdos proprius, modis omnibus facultatem. Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est, quoniam sic te prædictæ Taracinensis ecclesiæ cardinalem esse constituimus sacerdotem, ut & Fundensis ecclesiæ pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemque eius prætereas: quia ita fraternitatem tuam sapediæ Taracinensi ecclesiæ, sicut præfati sumus, præesse præcipimus, ut antedictæ Fundensis ecclesiæ tibi iura potestatemve nullo modo subtrahamus.

EPISTOLA XIV.

GREGORII PAPÆ I.

AD TARACINENSES.

De Agnello episcopo suscipiendo.

Gregorius clero, ordini, & plebi consistenti in Taracina.

DILECTIONIS vestræ desideria insinuata nobis, quam abstulistis, petitio reserauit, electionemque vestram valde laudauimus, quia Agnellum fratrem & coepiscopum nostrum, probatum iam meritis, cardinalem vobis constitui deprecamini sacerdotem. Et quoniam gratæ laudandæque petitioni nec effectum negari, nec moram licebat innecti, secundum desideria petitionemque vestram supradictum Agnellum directa præceptione ecclesiæ vestræ cardinalem esse statuimus sacerdotem. Pro qua re dilectionem vestram paterna adhortatione commoneo, ut ei obedientiam præbere in omnibus debeatis, quatenus caritatis vestræ solatio roboratus, curam gubernationemque ecclesiæ, quam vobis probatur petentibus suscepisse, adiuuante Domino salubriter valeat implere.